



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

I. Exemplum Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

modum equi strigosi, aut hominis emaciati corpus fame contabescit. Pasce tu crebro animam cibo spirituali, necum Davide queraris: aruit cor meum quia oblitus sum comedere panem meum. Et pudeat te majorem hactenus gessisse curam corporis, quam anima millies corpore nobilioris.

V.

Quam frugaliter ac temperanter comedis & bibisse te optabis sub horam mortis & iudicii particularis; quando de omni sensualitate, superfluitate & prodigalitate rationem strictissimam Deo redditurus es? Quid respondebis diabolo tot milenos bolos, tot milenos scyphos superfluos, imò sanitati noxios te absumpsisse arguenti? ex quibus tot eleemosynas, si parcius vixisses, erogare potuisses? Time, ac deinceps necessitatem, non sensualitatem specta.

MISSUS II.

Continens V. fercula mystica.

I. Exemplum Christi.

Propone tibi modestiam, temperantiam, gravitatem, mores, gestus, verba, colloquia, documenta Christi Domini comedentis

dentis, qui bibere & comedere dignatus est
 ut nobis exemplum praberet: & quia va-
 rietas in spiritualibus aequè ac corporali-
 bus cibis delectat; jam intueri eum cum
 B. Virgine & S. Ioseph cibum sumentem;
 jam in deserto Angelis ministrantibus;
 jam in convivio Cana; jam apud Mat-
 theum, Zachæum, Simonem, Martham
 prandentem, aut cum Apostolis ultimum
 cœnantem; & sanctos imitare mores, re-
 fectionem cum illius meritorie conjunge.

II. Exemplum Sanctorum.

Aspice exempla Sanctorum, non tantum
 Eremitarum, Pauli, Antonii, &c. sed &
 aliorum in omni statu & gradu; quàm
 modicè vixerunt? quàm rigide jejuna-
 runt? quot ad inventiones gulam mortifi-
 candi excogitarunt? Omnes propè vita
 Sanctorum hæc testantur: & tamen vitam
 longævam, sanamq; duxerunt. Vixit S.
 Antonius annos 105. S. Paulus primus E-
 remita 115. S. Jacobus Eremita 104. S.
 Arsenius 120. S. Simeon Stylites 109. S.
 Romualdus 120. S. Udalricus Episcopus
 105. S. Epiphanius 115. innumeros alios
 utriusque sexus, tenui victu & multis je-
 juniis